

# EADMERI OPERA

LABORE AC STUDIO MONACHORUM CONGREGATIONIS S. MAURI RESTITUTA ET EMENDATA.

## PRÆFATIO

Ad novam editionem Operum Eadmeri

(Opp S. Anselmī, edit. Paris. 1721.)

Eadmerus, quem Angli pronuntiant, *Edmerus*, et corrupte recentiores scribunt *Edmerus*, cognomine Cantor, in Anglia natus, in Cantia educatus, monachus tandem Cantuariensis ordinis S. Benedicti factus est in Salvatoris cœnobio congregationis Cluniacensis. Huic ab infantia mos erat semper novæ quæ forte et maxime in ecclesiasticis rebus occurrebant, diligenti intentione considerare, ac memorie commendare, ut de se ipse loquitur (l. ii *Novorum*). Quo studio in doctissimum evasit, sinceritate historice et orationis facundia præ cæteris illustrem. Ipse S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi auditor et discipulus, demum convictor et amicus, exsitorumque ac laborum ejus individuus comes, regis ira et odio nihil territus, ab eo nusquam recessit. Romam cum eo profectus, urbane ab Urbano II susceptus et in magno honore habitus est, adeo ut ipsi Anselmo Eadmerum præfecerit a cujus jussis totus penderet, id ipsum Anselmo enixius rogante ne obedientiam meritum cæteris præa us perderet. Anselmo denato privatam vitam Eadmerus aliquandiu duxit; sed postmodum Ecclesiæ S. Andree in Scotia episcopum creatum serunt (MALMESBUR. l. i *De gestis pontif.*) Eadmerum hunc non illum fuisse qui S. Albani cœnobio præfuit, et sub Ethelredi regis initia, circa annum videlicet 980, decessit, optime notat Seldenus, Balæum et ejus exscriptorem Lelandum, et Pitsæum jure corrigens, cum Eadmerus hic non nisi uno post alterum sæculo floruerit, et humana posuerit anno 1121, Simone Dunelmensi teste. Hæc Anselmum inter et Eadmerum necessitudo suasit ut hujus et illius opera una in lucem emendatiora prodirent, tum ne in diversas partes typi eos distraherent qui idem in omnibus senserunt; tum ut ea quæ Eadmeri stylo scripta sunt, et quæ hactenus inter Anselmi lucubrationes recensita fuerint, ipsi Eadmero reponantur. Hæc autem Eadmerus scripsit.

S. Anselmi Vita, duobus libris disposita.  
 Historia Novorum, sex libris distincta.  
 Vita S. Wilfridi archiep. uno libro conventa.  
 Historiarum collectanea uno libro descripta.  
 De gestis sui temporis libri unus.  
 De libertate ecclesiastica, seu, de discordia inter Guillelmum Rufum, Anglorum regem, et Anselmum, volumen unum.

A *Querela super morte S. Anselmi, carmine elegiaco.*  
*De Laudibus S. Mariæ Virginis, libri unus.*  
*De institutis Christianæ vitæ, libri unus.*  
*De S. Dunstano, carmen.*

Epistolas plures scripsit, et ab aliis accepit.

Pitsæus Eadmerum brevi stylo ab Edgardo rege usque ad Guillelmum primum Historiam perstrinxisse, et postea latius divagatum ad sua usque tempora fuisse colligit ex Lelando et Simone Dunelmensi; sed non aliam puto ab Historia Novorum in qua paucis ab Edgardo rege ad Guillelmum descendit.

Ex his autem omnibus ea duntaxat publici Juris facta sunt. De Vita Anselmi libri duo, quos ad mss. fidem emendavimus. Historia Novorum. Sermo, seu liber de cœlesti beatitudine. Liber De excellentia sive de laudibus Virginis; Instituta vitæ Christianæ, seu liber de moribus, qui, ut reor, non est alius a libro Similitudinum Anselmi, quas Eadmerus collegit. B Cætera in Angliæ bibliothecis delitescunt, ex quibus erueret ea omni nostro studio, omni amicorum ope et quibuscunque impensis non valuimus, directis a diversis hæc de re schedulis. Eadmeri Epistolæ manuscriptæ habentur Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti. Liber De ecclesiastica libertate exstat ms. in bibliotheca archiepiscopi Cantuariensis. Historia Novorum ms. servatur Cantabrigiæ in bibliotheca collegii S. Benedicti, num. 78. Vita S. Wilfridi exstat Londini inter mss. Cottoniana; Vita S. Dunstani ms. habetur Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti, ubi exstant mss. alia ejusdem opuscula De monte humilitatis et de duobus ejus montis custodibus; sed hæc in libro Similitudinum emendata dedimus. His igitur in scriptis delitescentes Eadmeri thesauros ut feliciter inquirat, cui facilius eis depromere, non solum non invidemus, sed obnixius exhortamur.

Illustrata de Eadmero Testimonia habent Malmesburiensis in prologo De gestis regum, et alibi passim, ubi in recensendis suorum temporum actis ejus sinceritatem et facundiam pluribus laudat; Pitsæus in Relationibus de rebus Anglicis, ætate 12; Tithemius, qui eum vocat *Emondum*; et alii qui de scriptoribus ecclesiasticis disseruerunt, vel qui de rebus Anglicanis accuratius scripserunt.

## EADMERI

## VITA SANCTI ANSELMI

(Vide supra in Anselmo.)